

2a 316A
an 7

PROPEMPTICA

Honoribus amplissimi spectatissimi-
micq; Viri, Domini

CASPARIS
BONERI,

Serenissimi Principis Electoris, & Illu-
strissimorum Saxoniae Ducum in illustri co-
mitatu Hennebergico Quaestoris provincialis eme-
riti, clementissima dimissione impetrata,
VII. Idus Iunij, Schleusingâ Sal-
feldam commigraturi

Ab amicis & benevolentibus
Fausti ominis ergo conscripta.



SCHLEUSINGÆ,
Typis Sebastiani Schmuccij excusa.

ANNO CHRISTI,

M. D. C. IX.



12



IN FAMILIAE BONERIANAE INSIGNIA.

*Vid sibi linteolum? quid florida crania? quidve
Aureus excelsa vult fixus in arbore Serpens?
Nempe BONERORVM sunt haec insignia gentis,
Quae pia multiplicis doctrinae semina monstrant:
Ne tibi turpe putes meditari funeris horam,
Cum superet spes alterius certissima vitae,
Quam DEVS infecta patiens sub imagine carnis
Promeruit, fidoq; gregi donavit habendam.*

Num. 21. 9.

Sir. 7. vlt.

Tob. 2. 18.

Rom. 8. 3.

Ioh. 3. 15.

*Hac quisquis memori crebro sub pectore versat,
Dante DEO, mortem nunquam experietur amaram:
Sed placido potius defigens lumina somno,
Mollia secura transibit ad otia pacis.*

Ioh. 8. 52.

Matth. 9. 24.

Esa. 32. 18.

M. J. Z.

A 2

AD



AD AMPLISSIMUM
SPECTATISSIMUMQUE
virum, Dominum CASPAREM
BONERUM, Quæstorem provincia-
lem, &c. abitum adornantem

Votum ὁδ' ὀρθοῦ μὲν.



*Quandoquidem Schleusa ripas tibi
linquere certum est,
Visereq; altisoni nota fluenta
Sala:*

*Te, comitesq; tuos, deducat sidere fausto,
Et tribuat vobis optima quæq; DEVS.*

*Interea, quamvis nos intervalla locorum
Disiungant, quovis tempore noster eris.
Noster eris, donec sedem veniamus in unam,
Quam superi spondet patria vera poli.*

M. Ioach. Zehnerus.

AD

AD EVNDEM.

*Magne BONERE, tibi dum quæro propempticon, ultrò hoc
E Iessæo offert se mihi fonte melos.
Faxit IOVA, precor, qui princeps autor, ut inde
In caput exundent prospera quæq; tuum.*

PARAPHRASIS PSALMI CXXI.

D*V* M mala circumstant miserum, & me deserit omnis
Vis animi, auxiliij nec quicquam sentio; quò non
Verto oculos? quos non ad montes lumina flecto?
Si mihi forte vel hinc sperare, vel inde salutem
Detur, & incolumi tristes evadere casus;
Sed frustra; humano nihil est in robore certum;
Nil firmum, si quis vel montibus altior extet.
Auxilium, tutò cui possim fidere, solus
Fert mihi cunctipotens cæli terræq; creator.
Hoc presente animum sumo, absistòq; moveri.
Si vel tota tremat tellus, & in æquora celsi
Præcipitent sese montes, atq; omnia vertant.

Gens pia, tolle metum, & curam securæ IEHOVÆ
Crede tui: ille tuos gressus suffulcit euntis,
Quò te cunq; vocat iussi via muneris; ille
Noctes atq; dies pro te vigilantia servat
Lumina contra omnes casus, damna omnia contra,
Nescius illecebris pigri concedere somni:
Ille tibi custos fidissimus astat, & alis
Te super expensis divinâ protegit umbrâ,
Ne tibi membra die rapido Sol igneus æstu
Exurat, noctuvè ea tangant cornua Luna,
Ac caput immisso affligant humore gravatum.
Quid moror? ille malo tutam te præstat ab omni.

A 3

Præsta-

*Præstabitq̄, malo tutam te semper ab omni,
Sive feras extra te tecta, domumq̄, relinquas
Sive domum remees, & limina nota revisas.*

M. VVolfg. Seberus.

Conquerar, an doleam? taceam mea sensa, lo-
quarne?

Quæ de discessu volvo revolve tuo,
Compater, ex alijs multum venerande Patrone;
Ambigo, nec constat, quid statuisse iuvet.
Gaudeo, quod factus tantarum pondere liber
Curarum, requie iam potes inde frui.
Sed doleo, deinceps cum te mihi cerno carendum,
Qui rebus fueras ancora tuta meis.
Qui toties de me factis animoq̄ mereri
Lætaris, facilem ferre paratus opem.
Dispeream, nisi sunt imis infixæ medullis,
Præstita quæ de te sunt benefacta mihi.
Pro quibus affirmo fore me memoremq̄ piùmq̄,
Dum fuerint vitæ filæ trahenda meæ.
Quid? mecum quod te mox discessisse dolebunt
Sacræ Sionides Aoniusq̄ chorus.
Nam te Quæstorem dum vidit Sleusa, fuisti
Munificus templo, munificusq̄ scholæ.
Res loquitur, passimq̄ extant vestigia, testis
Quæ sunt sat locuples, si licet ipse brevis.
Atq̄ è pauperibus quos fors urgebat iniqua,
His stipe multiplici dulce levamen eras.
Ne dicam, tua quos & quas lectissima Coniux
Iuverit auxilio, consilioq̄ bono.

Sic

Sic tua perpetuò domus est assueta iuvandis,
 Quos ope cunq; vides indignisse tua.
Publicum eras urbis, mensuram nominis explens,
 (Expeditam ut me una voce) BONERE, *bonum*.
 Quo qui destitui dehinc nos negat esse dolendum,
 Hunc aut amentem peccus habere negem;
 Aut eius finxit præcordia livida Titan
 De cœno potiùs, quàm meliore luto.
 Verùm mitto malos; cum gratis sentio, quos te
 Præsentem votis expetiisse liquet.
 Hi tua si ratio sic ferret, siq; liceret,
 Iniecta mallent te retinere manu.
 Cumq; abeas, mœrent, desiderioq; tenentur
 Vsq; inclamandi post tua terga: Mane.
 Sed cessa mœror, suspiria cede cordis,
 Cede dolor, nec enim causa dolenda subest.
 Gratemur potiùs tam commoda facta BONERO
 Otia, queis dabitur pax requiesq; Seni.
 Talia, ne dubites, DEVS ipse hæc otia fecit,
 Et voluit canos his decorare tuos.
 Miles ubi emeritis non sufficit ampliùs armis,
 Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares:
 Sic, CASPARE, tuâ vires minuente senectâ,
 Te quoq; donari iam rude, tempus erat.
 Ergò qui dedit hæc, fortunet & otia, IHOVAH,
 Qui tibi sit baculus delictumq; Seni.
 Idem, ubi quos debet tua fors impleverit annos,
 Molle ad pacta tibi sidera præstet iter.
 Quod pro te ut voveam, mihi pietate mereris,
 Hæsuracq; mihi tempus in omne fide.

*M. Iacobus Sorger Schleusing, Scholæ
 patriæ Corrector f.*

ACRO

ACROSTICHIS.

Conditio nostri quàm sit mutabilis ævi,
Ac quàm sit nobis fors fluibunda vide.
Sedes incertas mutat fortuna per horas,
Patria nulla manet firma, sed instabilis:
An non fata vocant obeunda ad muneris
 summa

Rerum, an non revocant fata eademq̃
 brevi?

Utile nunc nobis exemplar quippe **BONERVS**

Subiicit, hic multis præfuit officiis:

Questoris munus Schleusingæ gessit ad annos

Viginti, ast unum protinus inde trahas:

Ætas hinc fugiens curas, tantosq̃ labores

Scilicet assiduos deposuisse iubet.

Talia secum animo multumq̃, diuq̃ re-
 voluens,

Optavit pacis tempora sæpe **BONER:**

Rectâ age perge viâ felici numine **Q**uestor

Schleusingâ ad Salfeld: compater hisce
 vale.

M. Iohannes Otho, Pastor Reurittenfis.

Ανάγραμμα.

Ἀναλῆψαι.

CASPARVS BONERVS SALVELDIAM PETIT.

Abitum para; es notus, dispelle curas.

INter optatos igitur Patronos,
Quem penes spes ampla mihi reposita,
O BONERE ibis, patriæ revifens
Dulcia rura.

Siccini orbatus valido Patrono
Solutus in terrâ procul à paternâ
Diffitâ, Salveldiacisq; ab oris

Vivo relictus?

Attamen doctis patria est ubi vis:
Nam bonas tellus alit omnis artes:
Tùm Viris claris magis ac Athenæ
Francia floret.

Sic Deo visum, regit iste nutu (quam
Cuncta, quæ pertentat homo, nec un-
Illius iussu sine laude digno

Actio felix.

Ergò quò te fata vocant trahuntq;
I P A R A lætans **A B I T V M**, profusè
NOTVS ES: DISPELLE repentè **CVRAS**
Corda prementes.

B

Pergito,

Pergito, sic gratus eris paternis
Sedibus; nam gratus eras; fovebunt
Te boni quotquot teneris vigentes
Nōris ab annis.

Idq; non frustra; quia candor ingens
Et decor virtusq; tibi fidesq; (stra
Sancta inest, nomenq; tuum haud sine
Fama recondit.

Ergò ceu quondam Deus Israëlem
Evocat cum coniuge cumq; largâ
Prole dilatam Syriis ab oris
Fœnore magno,

Ante qui Iordanis aquas ut exul
Indigusq; agris patriis relictis
Transit solus tenui leviq;
Stipite fultus:

Ad domum cum coniuge sic paternam
Te Deus lætum revocat, piaq;
Prole nec non divitiis opimis
Sat benedictum.

Hinc

Hinc diu vivas patriis in oris
Sint tibi coniux sobolesq; salva,
Exitum vestrum introitumq; servet
Arbiter orbis.

M. Augustinus Bachmannus,
Schole Hilperhusanae Rector F.

Aliud.

VIta quid est hominum, series nisi longa laborum?
Quid nisi perpetua semita longa crucis?
Res patet exemplis: totum circumspice mundum,
Turbarum vacuus num locus ullus erit?
Sive aciem vertas dogma ad caeleste sonantes,
Horum pars vitæ nulla labore vacat.
Sive tibi visum genus esse beatius illud,
Publica pervigili quod bona fulcit ope,
Pauca Tibi occurrent optata exempla quietis,
Hic curas præter videris esse nihil.
Tormina quid memorem, quæ cura domestica gignit?
Hic quoq; pars placida nulla quietis erit.
Ergo tuam numquid subit admiratio mentem?
Languida si quando membra labore trahas?
Sapè hominem capiunt præsentis tædia vitæ,
Quando videt sese tot superesse malis,
Te quoq; pergrandem molem, GENEROSE BOHNERE,
Arbitrium voluit sustinuisse DEI.
Non mirum, si Tu Quæstura deditus esses,
Nec tibi, quàm quæ sunt Principis, esset onus.

Sed licet ingentes parit illa subinde labores,

Tu tamen officijs promptus es atq; manes.

Namq; tua reliquos Quæsturâ Principis, ecce

Præclare auxilijs consilijsq; iuvas.

Hinc, Quæstore BONO, fers nomina grata BOHNERI,

Qui BONVS officijs, ille BOHNERVS erit.

Te Quæstore BONO, gaudet SCHOLA nostra, Bohneri

Quotidiè, veluti par, benefacta sonans.

Te Quæstore Bono, nostra en quog; Musica floret,

Te Quæstore Bono Musica nostra tumet.

Semper Honos Nomenq; tuum Laudesq; manebunt,

Dum SCHOLA SCHLEVSIADOS Pallados arva colet.

Te Quæstore Bono, Nomen Laudesq; sonabit

DIVINAS alto Musica nostra choro.

Ex Merito CHRISTI, Te te Quæstore BOHNERO,

Vt BONVS in cælis præmia digna feres.

M. Matthæus Gottwaldt, Scholæ

Schleusing. Cantor & Collega.

ALIVD.

Quanta rotant nostram sinuosa volumina vi-
ram,

Dum solet alternas fors peragrarè vices?

Cuius in eoo si fidas lumine, fallax

Mox caput occiduo flumine merfa, latet,

Omnibus in rebus, laxis dominatur habenis,

Aestimat ingenio quælibet illa suo.

Quod si his in tenebris vitæ mens provida cernat,

Lætitiæq; modum tristitiæq; tenet.

Sin

Sin minùs, ambiguo per inhospita tesqua meatu
 Præceps, æternâ nocte regenda, ruit.
 Temporibus cedas, & inevitabile fatum
 Cuiuscunq; feras conditionis homo.
 Pectore quisq; ferat forti, quod ferre necessum est,
 Mens constet varijs exagitata malis.
 Tempora quisq; ferat sedatâ commoda mente,
 Mens constet varijs exonerata malis.
 Natus es ad quævis, Vir, ephippia, Magne, nec isto
 Naufragat in mundi mens animosa mari.
 Nunc post emensos seclaris gurgitis æstus,
 In portu vitæ simplicioris agis.

*M. Adamus Xylander,
 Scholæ Collega.*

A L I V D.

ECce quid hoc? En vir clarus virtute decora,
 Et superans alios meritorum pondere multos
 Vestris, Schleusingense solum, discedit ab oris:
 Quem benè tam multos fovisti blanditer annos;
 Ecquid fers agrè, demi spectantibus ora,
 Ora viri, pectus testantia semper amicum?
 Sic puto. Namq; tuis ingentia dona colonis
 Præbuit assidue vir dapsilis atq; benignus.
 Testis præconum Verbi sanctissimus ordo.
 Testis Gymnasij Musis benè culta corona.
 Testis egestati discentum subdita turba.
 Ergò viri talis cur non tangaris amore,
 Et desiderio, sic nunc disiungitur abs te?

B 3

Tu verò

Tu verò cur hoc cœptas, Amplissime Quæstor?
Cur complexa diu tanto te mœnia linguis
Affectu? vultus tristes en aspice; vultus
Illorum dico, quos iunxit amorq; fidesq;
Non simulata tibi. Pulcræ quin aspice molem
Arcis; Cuncta tuo discessu tristia fiunt.

Nimirum summo te fas est cedere Iovæ,
Cuius cuncta manu fiunt rectrice potenti.
Is, quia te, quantum satis est, exercuit ingens
Quæsturæ labor, ut cum laude recedere possis:
Spectatum satis, & donandum iam rude quarit
Privatis, ubi grata quies, includere tectis.
Scilicet insidijs, turbis, terroribus usq;
Vexantur, quicumq; negotia publica tractant.
Ergò DEO cedis merito, quem cœpta probare
Hæc tua, notificant tibi non fallacia signa.

Astat enim canis festina senectæ capillis,
Secum multa trahens incommoda corporis. Hæc te
Tàm grandi moli non viribus amplius equant.
Olim, quos tristi iam debilitata senectâ
Vlterius pugnis clarescere membra vetarent:
Cum rude dimissi, dulcem cepere quietem.
Sic annis, meritisq; gravi grave munus abesto,
Otia capturo vitæ, dulcemq; recessum.

Præterea natale solum, dulcedine cunctos
Quod mirâ ducit, partem sibi vendicat ortus,
Ergò, quæ restat, patriæ sit, portio vitæ,
Quæ te digna frui, verbis factisq; potente.

Deniq; præsentem poscunt te splendida tecta,
Et telluris opes: oculus quæ sæpè minister
Non rectè curat, proprias attentior ad res.
Cur maneat? tantis te fas est cedere causis.

O anima

O animæ fida, pellentes corde dolorem,
Sic mecum votis abitum celebretis amici.
Quod felix, faustumq; tibi, Meritissime Quaestor,
Vxori, natisq;, quibus tibi dulcius est nil,
Sitq; tuæ domui: notâ discedis ab arce.
Te discedentem vultu comitentur amico
Omnia. Sol terris sudo compareat ore,
Transseat ut dulcis lux hæc, & candida tota,
Prebeat & comitem tibi se fortuna secunda,
Atq; vehat secum variorum plaustra bonorum:
Ceu sunt mentis opes, currentis tramite recto:
Corporis & vires, servantis perpete cursu
Temperiem iustam: tandem quoq; munera Pluti.
Inprimis Veneranda TRIAS comitetur euntem.
Hac comitante, simul tunc cætera sponte sequentur.

A Michaële Bucio, Ienæ tum
versante, scriptum.




No 3161 A.K.



V. 107

V. 107



PROPE
 Honoribus ampl
 micz Viri,
CASP
BON
 Serenissimi Principi
 strissimorum Saxoniae
 mitatu Hennebergico Qu
 riti, clementissima d
 VII, Idus Iunij,
 feldam con
Ab amicis &
 Fausti ominis e

 SCHLEU
Typis Sebastiani
 ANNO C
 M. D

